



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Assertio Septem Sacramentorum Aduersus Mart. Lutherum**

**Heinrich <VIII., England, König>**

**Parisiis, 1562**

De Sacramento Extremae Vnctionis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-30233**

sine consecratione fieri: in qua & signum adhibeatur corporeum, & tantum spiritalis infundatur gratia, ut is qui consecratur, non solum accipiat ipse spiritum sanctum, sed etiam potestatem conferendi aliis. Nouum vero qui potest esse, quamquam id Lutherus ait, de quo scribit apostolus? Quomodo ignoratum ecclesiae, quod in omnibus Christi legitur & nunquam non legebatur ecclesis? Quibus ex rebus manifestum est, è tam multis quæ tanta cum confidentia pro compertissimis Lutherus eblaterauit in ordinem, ne vnam quidem syllabam fuisse veram, sed per malitiam ficta falsaque omnia.

#### DE SACRAMENTO EXTRE- MÆ VNCTIONIS.

**I**N sacramento extremæ vnctionis Lutherus bis ipse irridendus, bis irridet ecclesiam. Primum, quod theologo, ut ait, hanc vnctionem appellant sacramentum: quasi soli hoc dicant ij quos ille vocat theologos. Deinde, quod appellant extremam. Et quod ad secundum pertinet, obiicit sibi tanquam



ioco, quod nunquam soluet serio. Nam  
 & ideo quoque verè dici potest extre-  
 ma, quòd extrema sit e quatuor. Postea, vt  
 doceat non esse sacramentum, obiicit si-  
 bi primū id, quod neminē videt nō obie-  
 cturum, apostoli Iacobi verba: Si infir-  
 matus quis in vobis, inducat presbyteros  
 ecclesiæ, & orent super eum, vngentes o-  
 leo in nomine domini: & oratio fidei sal-  
 uabit infirmum, & alleuiabit eum domi-  
 nus: & si in peccatis sit, remittetur ei. Hęc  
 verba, quæ ex ipsius etiam finitione aper-  
 tissime declarant hanc vñtionem sacra-  
 mentum esse, quæ neque signo careat vi-  
 sibili, nec promissione gratiæ, protin⁹ in-  
 cipit Phormiana confidentia, tanquam ni-  
 hil haberent vigoris, eludere. Ego autem  
 dico (inquit) si vspiã deliratū est, hoc loco  
 præcipuè deliratū est. At ego contrà non  
 verebor dicere, quòd si vspiã delirat Lu-  
 therus, qui ferè delirat vbique, hic in sa-  
 cramento vñtionis extremæ ad extremã  
 vsque delirat amentiam. Omitto, inquit,  
 quòd hanc epistolam non esse apostoli  
 Iacobi, nec apostolico spiritu dignam,  
 multi valde probabiliter afferāt, licet cō-  
 suetudine auctoritatem, cuiuscunque sit,

Iaco. 5.

Lutherus.

Author.

Lutherus.



obtinuerit. Tamen, inquit, si esset apostoli Jacobi, dicerem non licere apostolum sua autoritate sacramentum instituere, sed id est diuinam promissionem cum adiuncto signo dare. hoc ad Christum solum pertinebat. Sic Paulus sese accepisse a domino dicit sacramentum eucharistiæ, & missum non ut baptizet, sed ut euangelizet. Nusquam autem legitur in euangelio vnctionis istius extremæ sacramentū.

His verbis videtis ut apostoli verba duobus modis enervare conatur. Primū, quòd epistola non sit apostoli, deinde quòd etiam si sit apostoli, tamen apostolus autoritatem non habeat instituendi sacramenta. Hæc duo quanquam proponat paucis, ac statim ad alia transfiliat, tamen præcipua tela sunt quibus instituit hoc sacramentum perimere. Nam cætera quæ dicit omnia, nugamenta sunt, ridendi occasionem captantia, tanquam ecclesia non recte sacramentum obseruet. Sed hæc duo vnum tangunt. Nam si epistola non apostoli sit, nec apostolico spiritu digna, aut si apostolo tradente vnctionem hanc pro sacramento, tamen nihilo magis probetur sacramentum, consequeretur



omnino, ut hæc verba nihil efficerent. Si  
 dixisset olim fuisse dubitatum cuius illa  
 fuerit epistola, dixisset vere. neque enim  
 temere quicquam recepit ecclesia, omnia  
 diligenter excussit: idque ipsum facit, ut  
 certiora deberent haberi omnia quæ re-  
 ceperit, etiam si duntaxat humana pru-  
 dentia regeretur ecclesia. Verum quum di-  
 cat multos asserere hanc epistolam non so-  
 lum non esse apostoli, sed esse præterea in-  
 dignam apostolico spiritu, atque istud non  
 asserere solum, sed asserere etiam probabi-  
 liter: probabile est illum istud probare non  
 posse. Alioqui proferat e multis aliquos,  
 qui si ex ecclesia sunt, neque tam multi sunt  
 opinor, neque tam magni, ut pondus obti-  
 nere mereantur aduersus reliquos omnes.  
 Adhuc produxit nullum. Ego producam unum,  
 qui sufficere debet aduersus multos, bea-  
 tum Hieronymum, quo neque doctior quis-  
 quam fuit in scripturis sacris, neque qui ve-  
 ras ac germanas exactiore censura distin-  
 xit a dubiis. Is igitur quum aliquandiu de epi-  
 stola Pauli dubitasset, sed tunc dubitasset,  
 quum res adhuc non esset tam pleno ecclesie  
 consensu firmata, Iacobi tamen que vocatur  
 epistola, ipsius esse sine ulla dubitatione

*Iacobi epi-  
 stola asseri-  
 tur autho-  
 re Hierony-  
 mo.*



pronūciat. Nā hūc in modū scribit: Iacobus, Petrus, Iudas, & Ioānes, septē epistolā ediderūt, tā mysticas quā succinctas, & breues pariter & lōgas: breues in verbis, lōgas in sentētiis: vt rar<sup>o</sup> sit, qui nō in earū cęcutiat lectione. Idē in prologō in septē epistolā canonicas, sic ait: Est em̄ prima earum vna Iacobi, duæ Petri, tres Ioannis, vna Iudæ. Videtis vt beatus Hieronymus idē iudiciū de Iacobi profert epistola, quod de Petri, nec putat indignā apostolico spiritu. Certe si rationes attulisset Lutherus, quare epistola nō esset Iacobi, sed tamē alterius cuiuspiā, qui eodē loqueretur spiritu, potuisset vtcūq; ferri. Nunc vero dicit esse pbabile, ideo nō esse, quod sit indigna spiritu apostolico. Qua in re non aliū obiiciā Lutherō, quā Lutherū ipsum. neque enim Lutherō quisquā aut sæpius ferme cōtradicit, aut validius, quā Lutherus. Is igitur in sacramento ordinis ait ecclesiam hoc habere datum, vt possit discernere verba dei à verbis hominū. Quomodo ergo nunc dicit epistolā apostolico spiritu indignā esse, quam ecclesia cuius iudiciū, vt ait, hac in re falli nō potest, apostolico spiritu iudicauit plenam?

*Iacobi epistolam Lutherō non esse dignā spiritu apostolico.*  
*Lutherus suo ipsius perfossus.*



Quamobrem nunc ita se sua sapientia cō-  
strinxit vndique, vt aut necessariò com-  
probet epistolam esse apostoli, cuius con-  
trarium dixit esse probabile: aut dicat ec-  
clesiam in scriptura sacra posse diudican-  
da falli, quod eam posse negauerat. Quod  
si dicat velut apostolico dignum spiritu  
comprobasse quod apostolico spiritu sic  
indignum, blasphemus est in ecclesiam. Si  
fateretur apostolū scripsisse quod apostolo  
sit indignū, blasphemus est in apostolum.

Satis igitur illud confutauimus, immo  
semet satis confutauit ipse, quod episto-  
lam negauit aut esse apostoli, aut dignam  
apostolico spiritu. Veniamus nunc ad id,  
in quo, vt fortem virum decet, aperte op-  
pugnat apostolum, dicens, etiam si sit apo-  
stoli Iacobi, tamen non licere apostolo  
sua authoritate sacramentum instituere,  
id est diuinam promissionem cum adiun-  
cto signo dare. Hoc enim pertinet (in-  
quit) ad solum Christum. O nostri seculi  
magnam fœlicitatem, quo nouus iste gen-  
tium doctor exort<sup>9</sup> est Lutherus, qui hoc  
sibi arrogans, tanquam Pauli sequeretur  
exemplum, in faciē resistat apostolo, quod  
non recta via ingrediatur ad euangelium



Christi, sed (quod plus est quàm si gentes doceat iudaizare) arroget sibi facultatem promittendi gratiam, & sacramenta condendi, hoc est, quòd vsurpet sibi potestatem Christi, ad modum superbientis & prauaricantis angeli, qui dixit, Ponam solium meum ad aquilonem, & ero similis altissimo. Non est nunc quòd ægre ferat pontifex ab illo reprehendi, qui de tam atroce crimine reprehendit apostolum. Nam quum certum sit epistolam esse apostoli, quid aliud, quàm manifeste dicit apostolum sine autoritate, & contra fas instituere sacramentum? Immo quum neget epistolam illius esse, tamen ne abstineret contumelia, dicit id se dicturum etiam si esset apostoli. Ego certe, etsi nonnullis visum sit, apostolis non sine spiritu sancto, quem deus in Pentecoste misit, rationem traditam esse cõdendi sacramenti, de quo spiritu Christus prædixerat, Spiritus sanctus quem ego mittam, ille vos docebit omnia: tamen in præsentī non disputabo vtrum apostolus autoritatem habeat instituendi sacramenti, quippe quod nunc disputari non opus est: sed quum plane cõstet apostolum vnctionē istam pro sacra-

m iij

*Esaie. 14.*

*Ioan. 14.*



mento tradere, nō dubito vere sacramen-  
tum esse, & apostolum non fuisse tam im-  
pie arrogantem, vt pro sacramento trade-  
ret populo, quod sacramentum non esset:  
sed si conderdi sacramenti potestatem nō  
habuit, verbis illis id tradidisse populo,  
quod ipse acceperat à Christo, qui vt alia  
mūdo volebat innotescere per Matthæū,  
alia per Lucam, per Ioannē alia, alia præ-  
terea per apostolum Paulum, cur fieri nō  
possit, vt quædam etiam doceri voluerit  
per apostolum Iacobum?

Lutherus postquā se tam strenuē quā  
videtis, gessit aduersus apostolum, iam to-  
tum se conuertit ad ridendum ecclesiam,  
quæ verbis apostoli, vt dicit Lutherus, ab-  
utitur, quòd nō ministret nisi ad mortem  
vsque ægrotanti, quum Iacobus dicat: Si  
quis infirmatur, non si quis moriatur: qua-  
si ideo peccet ecclesia, quòd rem tantam,  
quanta est sacramentum, non adhibeat te-  
mere in qualibet leui febricula, quam ali-  
quis nimium fortasse potando contraxe-  
rit, neque in eo morbo, qui vel dormien-  
do paululum vel abstinendo curari pos-  
sit, ecclesia per sacramentum velit eslagi-  
tare miraculum. Ne dubitari possit, etiam

fi-d  
fen  
fec  
fer  
me  
per  
tust  
quo  
adh  
bor  
mit  
desp  
ther  
sint  
rati  
spo  
ecc  
fit e  
sed  
scat  
uale  
virt  
non  
tio  
mai  
ctio  
ne c



si duntaxat infirmum scripserit Iacobus, *Consentaneum est non*  
 sensisse tamen haud ægrotantem leuiter, *id. voluisse*  
 sed eo morbo vexatū, cuius depulsio pos- *Iacobū, ut*  
 set ostendere, si sanaretur, sanatum sacra- *in leni quo-*  
 mento: orationes omnes quæ dicuntur su- *libet mor-*  
 per infirmū, (quas nemo dubitat esse ve- *bo ungeretur*  
 rustissimas, non nouum inuentum eorum *infirmis.*  
 quos iste vocat theologos) ostendant nō  
 adhibendum hoc sacramentum nisi in la-  
 borante grauitate: & tamen vt non pro-  
 mittunt certam salutem corporis, ita non  
 desperant salutem, nec veniant (quod Lu-  
 therus ait) tanquam ad eos qui iam tum  
 sint omnino morituri. Frustra enim tot o-  
 rationibus orarent salutem, si certō sibi  
 sponderent mortem. Non igitur id agit  
 ecclesia (quod inepte cauillatur iste) vt  
 sit extrema vnctio, licet vocetur extrema,  
 sed agit vt non sit extrema, sed conuale-  
 scat ægrotus. Quod si nolit eum deus con-  
 ualescere, id tamen non euacuat vim ac  
 virtutem sacramenti, cuius præcipua cura  
 non in corpus fertur, sed animā. Nam ra- *Ratio Lu-*  
 tio illa Lutheri de efficacia signi, nihil o- *theri:*  
 mnino rationis habet, aut efficaciæ. Si vn-  
 ctio ista sacramentum est, inquit, debet si-  
 ne dubio esse, vt dicunt, efficax signum.



eius quod signat & promittit. At sanitatem & restitutionem infirmi promittit, ut stant aperta verba, Oratio fidei saluabit infirmū, & alleuiabit eum dominus. Quis autem non videt hanc promissionem in paucis impleri? Quid ergo dicemus? (inquit) aut apostolus hac promissione mentitur, aut vnctio ista sacramentū non erit. Promissio enim sacramentalis certa est: at hæc maiore parte fallit. Vel ex hoc argumento patere potest, nihil curare Lutherum, quàm apertas afferat calumnias, modo specie aliqua veritatis imponere possit incautis: quæ non pudet ea contra theologos afferre, quasi ab ipsis dicta, quæ nunquam dicunt. Sacramentum (inquit) ut dicunt, est efficax signum eius quod promittit: at hoc sacramentum sanitatem corporis non efficit, quam promittit. Theologi non istud dicunt, sed quod est efficax signū gratiæ. sic enim definiūt, Sacramentū est visibile signum inuisibilis gratiæ. non dicunt salutis corporeæ, quæ dari possit & sine gratia. Quamobrem, quod ait consequi, ut si hæc vnctio sacramentum esset, apostolus mentiretur: Lutherus ipse mentitur. Nam sacramentum quatenus sacra-

*Cōfutatur  
ratio Lu-  
theri.*



mentum est, nō salutem promittit corporis, sed animæ, per signa corporea. Alio-  
qui Lutherus nihilominus eodem conclu-  
dit mendacio non apostolum solum, sed  
etiam Christum ipsum, quanquam vnctio  
non esset sacramentū. Debent enim ver-  
ba & promissiones etiam extra sacramen-  
ta veraces esse. Igitur quum apostolus di-  
cat sanandum per vnctionem & oratio-  
nem, eum qui infirmus est, & Christus si-  
gna illa secutura credētes, vt super ægros  
manus imponerēt, & bene haberent: quis  
non videt, hæc sic interdum fieri, vt tamē  
non fiāt semper? Neque tamen falsos esse  
qui promiserint, quum eos nemo dubitet  
corporalia quibuscūque verbis promise-  
rint, nunquam promississe perpetua, quum  
corpus in quo fieri deberent, perpetuum  
esse nō possit. Spiritualia verò, quia sua na-  
tura spiritus æternū victus est, perpetuò  
consecutura pollicētur. Nam Lutheri sen-  
tentia, quæ à Theologis exigit, vt si sacra-  
mentum sit vnctio, semper sanet, ne sit si-  
gnum inefficax: eò tendit, vt sacramentum  
esse non possit, nisi reddat corpus immor-  
tale, quod ipse tamen fieri posse promit-  
tit per orationem factam à bonis viris ni-



*Lutheri  
verba.*

*Lutheriana  
unctio  
hoies red-  
dit immor-  
tales.*

*Lutheri fi-  
des.*

hil hæsitante fide. Nam prorsus dubium non esse dicit, hodie quoq; sic sanari posse quotquot vellemus. Hoc si dicit verus talis fides qualis est illius, hominem servare potest immortalem. Nam quã ista fieri possint per fidem, nõ solum interdum, sed (quod Lutherus ait) perpetuo (modò sic fides indubia, quæ nihil hæsitet) credibile est fidem istam, si cuiquam alteri, potissimum contigisse Luthero, homini sic in fidem propenso, vt fidei favore bonis operibus multis in locis propemodum indicat bellum. Homini præterea, cui nunc tot & tanta mysteria reuelavit deus, & qui nouam condidit ecclesiã, quam in rem opus est & miraculis. Igitur verisimile est, quicquid fieri per fidem potest, abunde Lutherum facere. Demiror igitur, si vera dicit, ipsum non curare quoscunque morientes. Et quotidie auscultamus rumores è Germania, qui referant resuscitados etiam sepultos: quum interim semper audimus nõ modò sanatum nullum, sed etiã per illius quosdam satellites, occisos & crudeliter trucidatos eius causa bonos & innocentes sacerdotes, vt exemplo doceret ordinem nihil esse, fingentem esse characterem, me-



reiculusum fuisse Dauidē, quem pœnitue-  
rit tetigisse Christum domini.

Hæ sunt Lutheri sanationes, quas nihil  
vacillās eius fides operatur absque bonis  
operibus. Nam quòd occidit, non sanat,  
inde planè accidit, quòd vt Lutherus ait,  
oratio non tantum cum fide facienda est,  
sed etiam à bono viro. quæ res Lutherū,  
qui vir bonus non est, ne quēquam sanat,  
impedit. Vnctio hæc sacramentum non  
est, quia non semper sanat corpus. Luthe-  
rus vir sacer est, per quē & corp⁹, vt ferūt,  
occiditur, & certe occiduntur animæ. Ia-  
cobus Apostolus nihil dignū scribit apo-  
stolico spiritu, Lutherus apostolico spiri-  
tu digna scribit omnia, & quæ sint indigna  
discernit, idq; contra totam ecclesiā, quam  
in talium discretione scripturarū falli fas-  
sus est ipse non posse. Qua in re, quū epi-  
stolam Iacobi legerē, atque ibi tam multa  
conspicrem apostolico digna spiritu, ve-  
hementer admiratus sum, quid in mētem  
venerit Lutherō, vt gaudiū in tentationi-  
bus, patientiam in aduersis, à deo petendā  
sapientiam, in deo fiducia nihil hæsitante  
sperandū, & huiusmodi multa (nam talia  
sunt, quæ tota leguntur epistola) miratus

*Luther⁹ &  
corporū &  
animarum  
occisor.*

*Iacobi epi-  
stola quam  
sancta ac  
gravis sit,  
digna que  
apostolico  
spiritu.*



inquam sum, cur Lutherus putarit indigna quæ scriberentur ab Apostolo. An illa potius scribere debebat Apostolus, populo nihil esse fructus in missa, & ordine inane figmentum esse, & alia quæ Lutherus

*Lutherus  
contra di-  
gna scribit  
apostolico  
spiritu.*

scribit huiusmodi quæ quanquam sine omnia dignissima spiritu apostolico, tamé contemnere non debet, si minora scribat minores apostoli. Atqui licet aliquandiu (quod dixi) miratus sum, cur Luthero displiceat epistola Iacobi, tamen ubi legi sapius, & oculos intendi pressius, desij profecto mirari.

*Lutherus  
cur ita in-  
sensus sit e-  
pistolæ Ia-  
cobi.*

Nam ea scribit Apostolus, ut plane videri possit prophetico spiritu prænovisse Lutherum: ita virum undique pungit ad vium. Nam quum Lutherus fidei prætextu contemnat opera, Iacobus ediuerso disputat, ratione, scripturis, exēplis, fidem sine operibus mortuam esse. Præterea garrulam istam Lutheri petulantiam, non vno loco verbis inuadit acerrimis. Si quis (inquit) putat se religiosum esse, non refrenans linguam suam, sed seducens cor suum, huius vana est religio. Accedit ad hæc, quod in suam linguam Lutherus aptissime videt competere, quod illic frendit legens: Lingua iniquum malum, plena

*Iacob. 1.*

*Iacob. 3.*



veneno mortifero. Denique sentit in sua  
 dogmata verissime dici, quæ de conten-  
 tiosis hunc in modum scribit pluribus ibi  
 verbis Apostolus: Quis sapiens & discipli *Ibidem.*  
 natus inter vos? ostendat ex bona conuer-  
 satione operationem suam in mansuetu-  
 dine sapientiæ. Quod si zelum amarum ha-  
 betis, & contentiones sint in cordibus ve-  
 stris, nolite gloriari, & mendaces esse ad-  
 versus veritatē. Non est enim ista sapien-  
 tia desursum descendens à patre luminū,  
 sed terrena, animalis, diabolica. Vbi enim  
 zelus & contentio, ibi incōstantia, & om-  
 ne opus prauum. Quæ autem desursum est  
 sapientia, primum quidem pudica est, de-  
 inde pacifica, modesta, suadibilis, bonis cō-  
 sentiens, plena misericordia, & fructibus  
 bonis, iudicans sine simulatione. Fructus  
 autem iustitiæ in pace seminatur facien-  
 tibus pacem.

Hæc sunt, lector, quæ Lutherum com-  
 mouent vt ei non placeat apostolus. Hæc  
 inquam sunt quibus Apostolus aperte Lu-  
 therum ac Lutheri petulantiam, maledi-  
 centiam, impia & contentiosa dogmata,  
 non secus ac si vidisset virum, & verba le-  
 gisset, attingit. Cuius epistolam, quācum-



uis eam contemnat Lutherus, non dubito satis approbare Christianis omnibus, vñtionis extremæ sacramentum, nec tam potentem fore Lutherum, vt vllum sacramentum possit euertere, quod in salutem fidelium fides recepit ecclesiæ, aduersus quam nec portæ præualebunt inferorum, nedum fraterculus vnus inferni fuliginosum pesticum.

*Peroratio.*

**F**ecimus hoc libello tibi lector, vt spero, perspicuū, quā absurde Lutherus & impie tractarit sacramēta. Nam etsi nō attigimus omnia quę liber ipsius cōtinet, tamē quod attinet ad tuenda sacramenta ipsa (nequē enim aliud erat institutū meū) tractasse rem videor si non quā multū fieri potuit, certe pluribus ferme quā necesse fuit: tantum abest vt oporteat immorari diutius. Alioqui & rationibus, & legibus, & doctorū sentētiis, & scripturis ipsis non fuisset difficile rem locupletare cumulatius, nisi & erga Lutherum frustra fecissemus, & erga ceteros superuacua. Nam si Lutherum docendo conemur immutare, citius & nigrorē Aethiops, & varietatem pardus immutabit. Sin aliis ostēdere, quā falso & quā maligne sentiat, ne qui

*Authoris institutū.*







men si quis afferat, vel aliquo repellit cō-  
 mēto, vel authoris esse cuius feruntur  
 negat. Doctorū verò nemo tam vetus est,  
 nemo tā sanctus, nemo tāte auctoritatis in  
 tractatu sacrarū literarū, quē nō iste nouus  
 doctorcul<sup>o</sup>, sanctulus, & eruditul<sup>o</sup> magna  
 cum authoritate reiiciat. Quamobrē quū  
 Lutherus omnes contemnat, & credat ne-  
 mini, debet non indignari si nemo vicis-  
 sim credat illi. Cum quo tantum abest vt  
 disputem pluribus, vt propemodum pi-  
 geat disputasse tā multis. Quid enim pro-  
 dest amplius cum illo differere, qui ceteris  
 dissentit omnibus, & non consentit si-  
 bi? qui quod alibi negat, alibi dicit: quod  
 dicit, id rursus negat. Qui si fidem obii-  
 cias, ratione dimicat: si ratione ferias, pre-  
 tendit fidem. Si philosophos alleges, ap-  
 pellat scripturam: si scripturam proponas,  
 nugatur sophisinate. Quem neque pudet  
 quicquam, neque timet quenquam, neque  
 legem putat tenere se vllam. Qui veteres  
 ecclesie doctores contēnit, novos è subli-  
 mi deridet. Summum ecclesie pontificem  
 infectatur conuiciis. Ecclesie consuetu-  
 dines, dogmata, mores, leges, decreta, fi-  
 dem, ecclesiam denique ipsam adeo flo-

*Lutherus*  
*Proteus.*



eifacit vniuersam, vt nec esse ferè fateatur  
 vllam, nisi fors ecclesiam illam, quam facit  
 ipse duorum vel trium hæreticorū, quo-  
 rum sit ipse caput. Quamobrem quum sit  
 eiusmodi, vt nihil statuatur principij, quod  
 certum sit ac solidum, quod ei cum dispu-  
 tante conueniat, sed sibi liberum relinqui  
 postulet, vt quicquid libet, quando libet,  
 quoties libet, id illi liceat & asserere vi-  
 cissim, & negare, quum neque ratione  
 sese, neque scriptura, neque moribus, ne-  
 que legibus, neque autoritate demum  
 vel humana vel diuina patiatur adstrin-  
 gi, non constitui cum eo differendum am-  
 plius, nec aduersus eas hæreses quæ nulla  
 ratione firmantur, operosa ratione pu-  
 gnandum, sed admonendos potius Chri-  
 stianos omnes, vt tanquam teterrimam pe-  
 stem deuitent illum, qui tam fœda porten-  
 ta, ipsissima Antichristi dogmata, in eccle-  
 siam Christi conatur inuehere. Nam si o-  
 mni modo curandum est vt extirpetur qui  
 de quauis vna re schisma suscitare studu-  
 erit, quanto studio coniti decet, vt euel-  
 latur is qui non dissidium modo pergit  
 ferere, & populum in pontificem, filios in  
 parentem, Christianos in Christi vica-

*Petitiones  
 Lutheri in  
 disputado.*

*Lutherus  
 cum pestis  
 vitandus.*

*Lutheri stu-  
 dium.*



rium prouocare, totā denique ecclesiam Christi, quam ille moriens amore & charitate colligauit, tumultu, rixis, & contentione dissoluere, verumetiam quicquid est in ea sacrosanctum, execrabili mente, spurcissima lingua, scelerato contactu, rescindere, temerare, polluere? Qui si quam tamen de se salutis spem, si quod emendandi sui signum daret, hortaretur omnes, vt hominis sic affecti curam susciperent, & in hoc incumberent, vt modis quā possent optimis medicarētur, & sanitati mentis restitutum facerēt, vt hæreses à se propositas reuocaret. Verū adhuc profecto quæcunque solent ad mortem esse signa, omnia huic esse video. Quod vt censeam, non tam morbus eius, quantumuis

*Lutherus  
in medica-  
bilis.*

letalis, me mouet, quā ipse, quippe qui medicinam nullam, nullam prorsus manuum medicatis admittit. Quomodo enim curari potest, qui se tractari non patitur? Aut quomodo tractari potest, quē si quid doces, nugatur? Si quid mones, irascitur? Si quid hortaris, obnititur? Si quid placas, incenditur? Si quid aduersaris, insanit? Alioquin si curari potuisset, quid omisit piensissimus Christi vicarius, quo pasto-

*Pia cura*



ris sui secutus exemplum, ouem hanc er- *pōtificis ev-*  
 rantem quæreret, inueniret, in humeros *ga Luthe-*  
 tolleret, ac reportaret in stabulum? Sed *rum.*  
 heu lupus Auerni pessimus anteceperat,  
 deuorauerat, atque in imum ventrem de-  
 miserat, vbi semiuiuus adhuc in morte ia-  
 cens, aduersus inclamantem se pastorem  
 pium, & perditionem eius deplorantem, è  
 spurco Tartarei lupi rictu fœdos illos la-  
 tratus eructat, quos totius gregis aures a-  
 uersantur, abominantur, exhorrent. Nam *Quæ via*  
 primùm, nihil omnino lacepsitus, articu- *grassatur*  
 los proposuit de indulgentiis, quibus præ *Lutherus.*  
 textu pietatis impiè traduceret summum  
 pontificem. Deinde, vt per honoris eum  
 & officij speciem maiore contumelia per-  
 funderet, eos transmisit Romam, tan-  
 quam pontificis iudicio submittès, sed au-  
 ctos antè declarationibus multo quàm ef-  
 sent ipsi, deterioribus: vt planè liqueret  
 omnibus, pontificem nō à viro bono piò-  
 que consuli, sed à fraterculo nebulone ri-  
 deri, tanquam ita stupidum, vt pro hono-  
 re duceret insignem, & nullius vnquam  
 exempli contumeliam, barbámque (quod  
 aiunt) vellendam præberet irrisori. Si ni-  
 hil mali commerebatur pontifex, cur si-



lius degener immerentem patrem falsa cō-  
 sperfit infamia? At si quid Romæ fiebat,  
 quod oporteret immutari, tamen si fuisset  
 Lutherus (quod haberi volebat) probus,  
 & Christianæ rei studiosus, non præ-  
 posuisset priuatam gloriam suam pu-  
 blico omnium commodo, nec scurrandi  
 famam sibi venatus esset apud impro-  
 bos, dormientis pudenda parentis irri-  
 dens, & reuelata commonstrans digito,  
 sed auersus contexisset potius, & vel co-  
 ram vel per epistolam secretius reueren-  
 ter admonuisset, Apostoli præceptum se-  
 cutus, qui iubet vt maiores nō rideamus,  
 non obiurgemus, sed obsecremus. Quod  
 si fecisset Lutherus, haud dubito quin  
 beatissimus pontifex (tanta est eius nulli  
 non explorata benignitas) expergefactus  
 benedixisset filio suo Iaphet, & pietatis  
 retulisset gratiam, non maledixisset ira-  
 tus, qui ne sic quidem adhuc maledixit il-  
 ludenti, sed misertus miseri, magisque  
 filij memor, quàm irrisoris, egit cum eo  
 per viros honoratissimos, in quorum illo  
 conspectum prodire non erat dignus, vt  
 ab iniquitate desisteret. Cui tam pio ac sa-

*Gene. 9.*

*1. Timot. 5.*



lubri consilio tantum abfuit vt paruerit; vt non solum deriserit legatum de ipsius salute sollicitum, sed etiam nouum librum ederet euestigio, in quo pontificis potestatem machinabatur euertere. Vocatus deinde Romam, vt vel scriptorum causam redderet, vel temere scripta recantaret, quauis oblita securitate non subeundi supplicij quod meruerat, oblato quod in rem satis esset viatico, tamen vt insignem declararet obedientis viri modestiam, venire contempsit fraterculus ad pontificem, nisi regio instructus apparatu, & bellico stipatus exercitu. Sed homo cautus appellauit ad generale conciliū, nec tamen quodlibet, sed quod proxime cōgregaretur in spiritu sancto, vt in quocunque damnaretur, ibi negaret esse spiritum sanctum, quem homo sanctus & spiritalis nusquam fatetur esse nisi in sinu suo. Quamobrem iterum atque iterum admonitus, vt ab impietate resipisceret, quum iterum atque iterum impietatem ad impietatem adiceret, adactus est tandem piensissimus pastor, (ne sanas accabili scabie laborantem,

n iij

*Erinola appellatio Lætheri ad cōcilium.*

*Tandē cieto Luthe- ro immediabili, reliquo gregi pspicis pi pastor.*



2. Reg. 18. Et tu corrumperet) ex ouili procul eiicere,  
 & filij sui Absalonis, (cuius vitam seruare  
 non poterat) mortem deplorare, dum ab  
 arbore pendentem conspicit decora cæ-  
 sarie, qua stulte superbierat. Lutherus er-  
 go sentiens eiectum se è societate fide-  
 lium, facere cœpit quod deplorati solent  
 impij, qui quum in profundum venerint,  
 contemnunt. Non ingemuit, non plan-  
 xit casum suum, quo sicut Lucifer exalta-  
 tus, sicut fulgur corruerat & allisus est,  
 sed imitatus diaboli desperationem, dia-  
 bolus etiam ipse, hoc est calumniator ef-  
 fectus, aduersus pontificem in blasphe-  
 mias & calumnias cœpit erumpere, & re-  
 liquis inuidens fidelibus, velut serpens  
 antiquus, infidelitatis laqueos tendere, vt  
 eos è vetito scientiæ noxiæ ligno gustan-  
 tes, ex ecclesiæ paradiso (vnde ipse deci-  
 derat) procuraret expelli in terram ger-  
 minatam spinas & tribulos. Ego profecto  
 tantam hominis dementiam, & miserrim-  
 um casum perquam moleste fero, cu-  
 pioque vt vel adhuc (inspirante gratiam  
 deo) resipiscat tandem, conuertaturque  
 & viuat. nec id tam ipsius causa cupio,

Luc. 10.

Gene. 3.



(quanquam ipſus etiam, vt qui omnes cupiam ſaluos, ſi poſſit fieri) quàm vt aliquando conuerſus, ac velut filius prodigus reuerſus ad miſericordiam tam benigni patris, & errorem ſuum cōfeſſus, in viā reuocet ſi quos effecit errare. Cæterū ſi is tam profunde ſe demerſit, vt iam ſuper eum puteus impietatis ac deſperationis vrgeat os ſuum, blateret, blaſphemet, calumnietur, inſaniet, vt qui ſordet, ſordescat adhuc. Cæteros vero Chriſtianos omnes obſecro, & per C H R I S T I viscera (cuius fidem profiteſmur) obteſtor, vt ab impiis verbis auertant aures, neque ſchiſmata foueant & diſcordias, hoc præſertim tempore, in quo maxime oportebat aduerſus hoſtes C H R I S T I Chriſtianos eſſe concordēs. Neque aduerſus C H R I S T I vicariū probris & detractiōibus auſcultent, quas in pontificem fraterculi furor eructat: neque ſacrata C H R I S T O pectora hæreſibus impiis contaminent: quas ſi ſeminat, charitate vacat, gloria turget, ratione friget, feruet inuidia. Denique quibus animis aduerſus Turcas, aduerſus Sa-

*Luca. 15.**Pſal. 68.**Apoca. 22.**Regis exhortatio ad omnes Chriſtianos.*



racenos, aduersus quicquid est vsquam  
infideliū consistent, iisdem animis con-  
sistant aduersus vnum istum viribus im-  
becillum, sed animo Turcis omnibus, o-  
mnibus Saracenis, omnibus vsquam infi-  
delibus nocentiozem fraterculum.

F I N I S.

Chalcographus Lectori.

**A**D hanc assertionem Lutherus Regi  
respondit contumeliosissimè: cuius  
tamen responsionis aut verè pœnitens, pœ-  
dēnsque, aut certè simulans, vt homo e-  
rat ad omnem dolum instructus, hanc  
epistolam ipsi, siue reconciliandi eius er-  
gò, siue magis irritandi, submisit.